



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 78. Obsidentes de Bonnoniæ obsidione dubii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. A C. 1512. ventantem advertentibus, ipse die quinta Februarii versus nonam diei horam matutino tempore urbem ingressus esset: Cardonna vero reliquum diei spatium militibus suis ad reparandas vires indulgens, expeditionis labores ad alteram diem remisit. Equidem is peroptabat, ut suus adventus hostibus incognitus esset, eventu tamen fortuito prodebatur: Eques enim Epirota leviter armatus, qui Gallorum signa sequebatur, urbe egrediebatur Cardonnæ castra lustraturus; verum captus ad Ducem abducitur, a quo de obsessorum statu interrogatus respondit, adhuc nihil eorum scio, nam hesternam primum die adveni; cum vero ex eo quæreretur, quem itineris comitem habuisset, reposuit, se unacum Gallorum exercitu adventasse. Ergo Cardonna exploratores mittit, rei veritatem indagaturos, cum itaque hi verbo fidem constare affirmarent, seria suscipiendi consilii deliberatio obsidentes tenuit.

§. LXXVIII.

Obsidentes de Bonnonicæ obsidione dubii.

Tandem vero, post varia consilia incassum proposita, illud præplacuit, quo conventum, ut solido triduo, si fors Gasto prælii discrimen tentaret, copiæ ad pugnam

pugnam instructæ persistent, & Fabritius Columna cum tertia equitum pedumque parte ad Renonis pontem procedat, ibique aggeribus, fossisque castra munit, ac tamdiu Gallorum iter retardet, donec eis exercitus occurrere possit, interea vero ex quavis centuria extrahantur milites, qui hinc urbem obsiderent, illinc cuniculos agerent, ac demum fossoribus opus absolventibus Columna revocaretur ad castra, totusque exercitus in duo agmina divisus, omni ex parte affultum in Bononiæ urbem faceret, donec expugnata esset.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

Guic. l. 10.

§. LXXIX.

Cardinalis Medicæus de Hispanorum cunctatione conquestus.

Cum vero Cardinalis Medicæus intelligeret, decretum esse, ut Bononia toto armorum apparatu invaderetur, haud diffiteor inquit: „ Oculorum meorum acies hebetata est, nec tamen „ usque adeo, ut Hispanorum artes perspicere haud possim; satis compertum „ habeo, Cardonnam & Navarram unice intentos esse, ut bellum ipsis summe proficuum cum dispendio ceterorum foederatorum protrahant, eo consilio, ut Sedes Apostolica, Venetique ærario, viribusque exhausti, sese „ Regis